

*BB*


Wistrand

Birca

et

Sigtuna

13



DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
BIRCA ET SIGTUNA  
UNA EADEMQUE CIVITATE,

---

Quam

*Consentiente Ampliss. Philosophor. Ordine,*

PRAESIDE

*JOH. LUNDBLAD,*

*S. S. Theol. Doct. Eloqu. et Poëf. PROF. Reg. et Ord.*

Eruditorum Censuræ

In Academia Carolina

D. XXVI Maji A. MDCCCIL.

pro LAUREA

Disputaturus

*modeste subjicit*

PETRUS FREDR. WISTRAND,

Ostrogothus.

---

LUNDÆ,  
LITERIS BERLINGIANIS.



§. L

Cum Christianæ Religionis initiiis in Svecia, nata est fama novæ urbis, cuius nomen antea in auditum fuerat. Ea *Byrka* \*) (nostris Björkð) dicta, diu opinionibus Historicorum floruit, ut celebris Civitas, Sedes & Aula Regum, & Regni Sviogothici caput sub regibus Berone a), Anundo b), & Olao c), quo etiam conventus ordinum convocari solebat d). Birca omnium primus nominat Rimbertus, Vitæ Ansgarianæ auctor, quem Adamus Bremensis, qui Seculo undecimo vixit, Saxo Grammaticus, Helmoldus, Albertus Stadensis, Alb. Krantzius, & ex nostris Ericus Olai Upsaliensis, multique alii juniores sequuntur, sed qui omnes Rimberti, ut nos quidem existimamus, & Adami Bremensis.

\*) *Byrka* a Rimberto scribitur, ab aliis vero *Birca*.

a) Rimberti vita Ansgarii c. 10, §. 13.

b) Ib. c. 16.

c) Ib. c. 23, 27.

d) Adami Bremensis Hist. Eccles. L. I, c. 26. Rimbert. c. 24, §. 10.

1 558891

[zh. poniem.]



mensis auctoritate nituntur. Causa erroris in eo esse viderur, quod Rimbertus & Adamus communem loci appellationem secuti, a sequioris ævi scriptoribus crediti sunt proprium nomen attulisse, unde nata est illa opinio de alia quadam præter Sig-tunam regia & magnifica urbe, Regum Sveogothicorum sede & domicilio: qua persuasione nemo magis quam Joh. Messenius deceperus videtur. Adeo enim hæc opinio animum clarissimi viri invaserat, ut non dubitaret huic exterorum Scriptorum Birce inter quinque inclitas & perantiquas civitates locum assignare e). Crediderim bonum virum auctoritate Erici Upsaliensis seductum hæc talia in animum induisse. Ille enim in vita Stenchiilli ita: *Tres, inquit, eo tempore civitates famosæ & magnæ in hac regione fuerunt, videlicet Sigtonia, Scharia, & Birrköö f).* Hic ex Birca, domo regia, quæ cum Sig-tuna non nisi unam urbem constituit, separatam & certiam fecit. Sed ut hæc, quæ ad vulgarem errorem excutiendum disputare in animo est, eo majorem lucem obtineant, ante omnia videndum, propriumne an appellativum nomen Birca sit habendum, quod ut fieri possit, inquirendum est tum, quid de horum temporum regia sede in Svonia exteri Scriptores dicant, tum quid Islandi, id est, nostri, doceant, quo facto, nemo ut opinor erit, qui nesciat, quid hæc de re sentiendum existimet.

a 2

§. II.

e) v. Joh. Messenii Sveopentapolitopolis. Holmiae 1611,  
8:o.

f) Erici Olai Upsaliensis Historia Svecorum Gothorum-  
que. Stockh. 1615, 40, p. 38.

---

## §. II.

Primum ergo obseruauerim errare eos, qui Birca*m* loci nomen proprium existimant. Neque enim in lacu Melero situs & a Sigtunensium urbe & regia ad eam arce distinguis est locus, in quem omnia ea cadunt, quæ de Birca dicuntur. Oportet enim ut Birca & Sigtuna, *uniuersus diei itinere ab Upfala sitæ* g), *juxta h)* sint, deinde *ut portum peropportunum stationi navium habeat i)*, postea *ut amplum sit Emporium k)* & *populosum*, denique *ut sit Metropolis & regni sedes*, quæ omnia non satis in eam insulam, quæ vulgo creditur hoc nomine significari, convenient. Præterquam enim quod insula Biörkō non eam habet magnitudinem, quam fama & celebritas Bircæ Rimbærtianæ & sedes regiæ urbis requirit, obstat etiam hujus insulæ situs, qui minime *juxta Sigtunam esse dici* poterit. Tria enim Svedica milliaria infra Sigtunam hæc insula posita est, adeoque tribus miliaribus longius quam Sigtuna ab urbe Upsaliensi distat,

g) Adamus Bremensis de situ Daniæ, Edit. Elzevir, p. 26.

h) Id. ibid. it. Rimbærtus, c. 16, §. 24.

i) C. 10, §. 2. it. c. 23, §. 3. & Gualdo c. 25, ubi hæc :

*Tandem se Byrka recepit  
Quo portu regem Bern invenire morantem.*

Chr. c. 56: 3. & Adam. Bremens. Hist. Eccl. L. 1,  
c. 50.

k) Rimb. c. 16: 17.

distat, cum uterque locus pari intervallo ab Upsala distare dicatur. Præterea nec eum portum habet, quem vetus illa Birca habuisse prædicatur, id quod Hadorphius 1) largitur, neque rudera tam magnificæ & opulentæ urbis ostentat, qualis regia Svi-  
onum a medii ævi scriptoribus celebratur. Aut quæ rudera posset exhibere locus, qui a:o 936, quo Archiepiscopus Unni ibi docuit & obiit, regia ci-  
vitate floruit. Spatio vero temporis paulo ultra se-  
culum interjecto, ab Adalwardo juniore lustratus  
*vix vestigium tantæ famæ ostendit?* Adamus enim,  
qui Canonicus Bremensis fuit ab anno 1067 ad an-  
num 1072 m), a Svenoæ Estritio, rege Da-  
niæ, qui duodecem annos in Svetbia commoratus fu-  
erat n), in Svethorum rebus eruditus o) de Adal-  
wardo Sigtunam missò diserto ita: *Tunc (Sigtuna*  
*profectus) etiam occasione itineris divertit Bir-*  
*cam, quæ nunc in solitudinem redacta est, ita ut*  
*vestigia Civitatis vix appareant: quare nec tu-*  
*mulus Sancti Unni Archiepiscopi potuit inveni-*  
*p).* Id quam non præter opinionem videri de-  
buerit, infra attingemus. Quo modo enim rudera  
civitatis eo loco existerent, ubi nulla civitas, nisi quæ  
Historicorum ingenii ficta fuerit, unquam exstítit?  
Quæ autem præcessæ ruderum moles a Messenio q)  
me-

1) In præfatione ad ius Birçense.

m) Fabricii Bibl. Lat. medii ævi T. I. L. I.

n) Adami Historia Eccles. L. 2, c. 54.

o) Idem L. I, c. 40 & alibi s̄epius.

p) De situ Dan. p. 26.

q) in Sveopentapropoli p. 84.

memorantur, quique acervi lapidum, passim in  
agris congesti ex adibus & plateis urbis putantur,  
quæque vestigia fossarum urbis, & monumenta duarum  
portarum & Pontium conspiciuntur r), ea  
veremur, ne in majus aucta deprehendantur. Exa-  
minemus modo clarissima illa rudera, ut Mehmer  
vocat, & pontes & lapidum acervos, quæ monu-  
menta Bircæ existimantur. *Agger*, inquit Arrhenius,  
iste versus Aquilonem in edito collo ex gleba, la-  
pidibus, cespitibusque in modum circuli est exstruc-  
tus. terræque spatium includens tantum, quan-  
tum uno per diem jugo boum exavarari potest: hic  
altitudinis ulmarum sex vel ultra adhuc est. Porta  
eius una in meridiem spectat, ubi urbs aedificata,  
altera vero in septentrionem, unde pons a Yamque  
ripam & insulae Bircensis & Alsnoensis conjunxit,  
cujusque pontis pali in terram defixi adhuc cer-  
nuntur s). Habet magnitudinem creditæ urbis re-  
gæ, scilicet quantum uno per diem jugo boum  
exavarari potest. Quis dicat amplissimæ urbis arces  
& aedificia & plateas capere hanc aream potuisse,  
quæ mediocri castello vel villa regæ cum subjacen-  
tibus aedificiis tantum non sufficit? Jam ante sci-  
mus & in insula Alnö regiam villam, quæ jam  
*Hofgården* dicitur, & in insula Biörkö castrum vel

ca-

s) Joh. Messenius loco cit. it. Loccenii descriptio Svecie Manuscripta apud Celsius in Hist. Ecclesiastica Recen-  
tioris Editionis T. 1, p. 244. it. Arrhenii Dissertat.  
de Fierhundra p. 35. it. Mehmer in Dissertat. de Birc-  
ea p. 8.

s) loco cit.

castellum suisse t), hasque insulas pontibus suisse junetas. Num autem regia villa vel castrum idem erunt ac urbs regia? Et quid pons ad regiam urbem facit? Num Regiae villæ Drotningsholm, Svartsjö, Haga, &c. idem ac urbes regiae erunt? Cetera ejusmodi sunt, ut ea refellere vix tanti videatur. Habuerunt plures Meleri insulæ quondam ejusmodi villas regias, itemque castella, quæ & plura & majora rudera quam insula Biörkö, ostentant, id quod recens & oculatus testis Johannes Fischerström, qui has ipsas insulas ante aliquot annos diligentissime perlustravit, abunde docet u). Hinc non leviter falli videntur ii, qui in his rudibus, quæ in insula Biörkö hodie conspiciuntur, vestigia regiae urbis latere sibi persuadent, aliisque persuadere conantur. Sed videamus quid nostrorum rerum scriptores hoc tempore, nempe Islandi de regum Sveogothicorum metropoli dicant.

### §. III.

Igitur si quæ a Rimberto & Adamo de Birca dicta accepimus, cum iis conferamus, quæ de veteri Sigtuna Islandi docent, inveniemus ea in unum eundemque locum & Civitatem convenire. Odinus Svetham ingressus, civitatem ibi munitam (*Borgarstadt*) quæ jam Sigtuna vocatur, elegisse sibi dicitur

e) Joh. Fischerströms Utkaft til en Resa genom Mälaren,  
p. 121.

n) In Itinerario jam laudato p. 121 — 128.

citur v), id quod iisdem fere verbis apud, Stur-  
læum adseritur, addita Logeri, s. Meleri & veteris  
Sigtunæ mentione x), ubi magno splendidissimoque  
fano instructo, juxta morem Alarum Sacrificie per-  
agere instituit. Circa annum 531 y) dicitur Sol-  
vo, Jætarum rex, Sigtuna exercitu occupata, regi-  
um titulum & imperium usurpasse, postquam Ei-  
stenum, Svionum regem in insula Lðsfðn, dum con-  
vivium ibi agitaret, ex improviso aggressus, una  
cum aulicis combusserat z). Eodem (VI) Seculo  
Thorerus cælo in Oresund per Sorlum Halfdano  
rege, in Svetiam navigat, *& portum intrat pro-*  
*pe arcem, quæ tum in Svioniæ regno caput erat a):*  
*in quem portum juxta arcem capitalem (Hofut-*  
*Borginni) Sorlus appellit b).* Thorerus vero *in*  
*arcem (i Borginna) clausis portis (Borgarinnar i.*  
*e. Borgportarne) se conferens muros defendit &*  
*Sorlum inde arcet c).* Post diem tertium Hognus,  
Halfdani filius, cum classe adproperat, & navibus  
ad terram actis opportunum prope urbem portum  
(Go-

v) Eddæ proem. c. 2.

x) Heims Kringla, T. I, p. 6.

y) Langebeck Scriptores Rer. Danicar. T. I, p. 446.

z) Sturlæus Heims Kr. T. I, pag. 40, 41.

a) *Ok tok Hofn in Svitbiodyn, naerri BORGINNI, sem tba*  
*var bufvudbftadur i Sviavelldbi.* Apud Björnerum in Hi-  
storia de Sorla Robusto p. 30, c. 14.

b) Ibid. p. 34, 35. c. 16.

c) Ibid. p. 47, c. 20, 21.

(*Godri Hosn miok naerri stadhnum*) eligit d). Amicitia inter Hognum, Sorlum & Castonem ducem conciliata, in urbem (*til Borgur*) itur, & in campo extra civitatem, ubi pugna commissa fuerat, cœsi tumulis e) inferuntur, quorum monumenta, ut nonnullis placet, etiam hodie visantur f). Sæculo VII (ut creditur) Hialmarus in insula Samsö cæsus, morti vicinus in cantu suo cygneo Virginum Sigtunensium meminit. Mortui funus Sigtunam, ut magnificum & dignum heroë locum cura Orvar-Oddi translatum est g). Sæculo VIII prælio Bravallensi intererant Sigismundus Kaupungskapa (oppidi Athleta, Kôpingskåmpe) & Tolafostre ex oppido Sigtuna h). Olaum Erici filium, qui Skôtkonung dictus est & ab anno 994. usque ad annum 1026. regia sceptra tenuit, Sigtunam habitatum concessisse plura historicorum documenta atque etiam numi evincunt, quibus regiae sedis nomen adscriptum, ut: *Olaf rex an Situn.* it. *Onlaf rex an Situn* i). it. *Olafs an Sigtun* k). Hoc regnante l. circa b an-

d) Ibid. p. 50, c. 23. In veteri lingua Gothica *Borg* s. *Baurg* & *Stad*, civitas, sunt Synonyma, v. Joh. Ihre in Ulphila illustrato p. 89.

e) Ibid. p. 56, c. 25.

f) Arrhenii Diss. de Fierhundra p. 37.

g) Harvara Sag. edit. Verel. p. 72. Orvar-Oddi Saga p. 26, 27, 50.

h) Saxo-Gram. p. 145. Edit. Steph. Dalin Sv. H. T. I, p. 465, & Langebeck Script. Rer. D. T. I, p. 446.

i) Vallin Sigtuna Stans & Cad. p. 231. it. numi Kederi, & Vilde ad Puffend. T. 2, p. 425.

k) Benzelii uikalt til Sv. Folkets Historia p. 148.

■ ■ ■ ■ ■

annum 1007 Olans, qui in Norvegiæ regibus San-  
cti nomen meruit, Melerum hostiliter ingressus ad  
prædam ex utraque ripa egendam prope Sigtunam  
(nouam) venit & *ad vicum urbis antiquum* (vid  
fornu Sigtun) naves suas applicavit l). Hujus  
Olai filius Magnus ad recuperandum regnum Nor-  
vegiæ suppeditas petiturus a:o 1035 Sigtunam ve-  
nit, ubi cum quoque aula regis Svionum (Amundi  
s. Anundi) erat m). Frater vero uterius S. Olai  
Haraldus a:o 1045. ex oriente in patriam redi-  
turus, hiemante mari, stationem navibus suis prope  
Sigtunam petiit, ubi in aula regis Svetlici (Amundi)  
affinem Svenonem Daniæ regem invenit n).  
Exstant quoque hujus regis Amundi numi, qui  
eum Sigtunæ habitasse significant. Horum enim  
inscriptio: *Anund* (sic enim sæpius pro Amundi  
vocatur) *rex Si.* plenis literis *Anund rex Sithunæ*  
legenda est o). Ex sequentibus regibus Stenkillum  
quoque II. Sigtunæ aliquamdiu sedem elegisse Wa-  
stovius docet p) & singularis hujus regis in hanc  
urbem favor idem nobis persuadet q).

#### §. IV.

- l) Sn. Sturlæus T. 1. p. 378. it. Verel. in not. ad  
Hervara Sag. p. 84.
- m) S. Sturlæus T. 2, p. 2, & 4.
- n) Id. T. 2, p. 74.
- o) Vallin Sigt. Stans & Cad. p. 231.
- p) Vit. Aquilon. Edit. Benzel. p. 41. cfr. Adam. Bremenſ.  
de ſu Dan. p. 25, 26.
- q) Vallin loc. cit.


## §. IV.

His inter se diligenter collatis, non obscure intelligitur etiam his temporibus, quibus Birca, ut regni metropolis celebrata est, Sigtunam veterem fuisse sedem imperii Sveogothici atque aulæ regiæ, quo reges sub primordia introduxerunt in Sveciam Christianæ religionis habitatum concederant, Upsalia reliqua una cum Upsaliensium regum titulo, pro quo *Sveonum* adoptare magis ex dignitate imperii visum est r). Jam vero ex iis, quæ attulimus, evidenter patet, omnia ea, quæ de Birca & Sigtuna dicuntur, ad unam eandemque Civitatem esse referenda, neque hanc posse aliam esse, quam veterem Sigtunam, olim eo, ut creditur, loco s), ubi nunc Signilberg est, sitam, a qua nova Sigtuna quingentorum circiter passuum intervallo in alteram ripam translata distat. In ipsa autem urbe non creduntur habuisse reges, sed in arce regia, urbi quidem valde vicina, atque ita, ut *juxta* sitæ fuisse, dici possint, paulo tamen propius ad portum, qui hinc regius (*Kongshamnen*) dictus est, & ita etiam hodie dicitur t). Hæc vero domus regia cum per eminentiam *arx* (Birke, Borg, Borgen, vel Burg, Burig a veteri vocabulo *Baurg*, ut est apud Ulphilam, Græce πυργος) dicta fuerit, a

b 2

Rim-

- s) Verelius in notis ad Hervara S. p. 59, & Wallinus in Sigtuna Stanti & Cadenti §. 13, p. 230.
- s) Joh. Fischerströms Utkast til en resa genom Mälaren, p. 112.
- t) Vallin, Sigt. St. &c. p. 233.



Rimberto communem loci appellationem secuto, latina flexione ad aurum censuram adcomodata, *Byrka* (ita enim in vita Ansgarii scribitur) est nominata. Sic qui Holmiæ aliquamdiu commoratus est, meminerit, ubi domus regia nominanda sit, non dici *Stockholms slott*, sed *nat' eżoxw slottet*, unde formulæ: *vura, viftas, gā up på slottet*, & plures ad hunc modum loquendi figuræ natæ. Neque hæc loquendi ratio a veteri & septentrionalibus populis recepto usu abhorret. Hinc enim Burgrått, Borgrått, Gårdsrått, Birkerått (jus Bircense) nihil aliud est quam quod vulgo jus Burgi dicitur, quale apud Anglo Saxones aliasque gentes septentrionales exstitit, tandemque, ut in Danie, etiam ad eminentiores & nobiles cives privilegiis translatum fuit. Hadorphius u) ergo & Wilde v) minus audiendi videntur, qui vocem *Birke commercium* significare existimant, cum vestigium hujus significationis nuspiciam inveniatur, id quod Varro noster, Ihre x), testatur. His pluribusque rationibus ductus recte Dalinus y) negat, *ut urbem, ullam alias Bircam in Svetbia quam veterem*

Sigtu-

u) In præfatione ad Jus Bircense.

v) In Hist. legg. p. 42, 43. It. ad Puffend. P. II, p. 426 & seqq. Statsförfattnings Hist. p. 82, 87. & alibi.

x) In Glossario Sveogoth. p. 190.

y) Sverikes Hist. 1 Dél p. m. 255, 256 in not. Cfr. J. Wilde, Lags Hist. 42, 43. Rimb. in vita Anse. e. 10. Adam Brem. H. E. L. I, c 50, 51. & Sven Bring (Lagerbring) de orig. urbiuum antiquarum p. 17.

Sigtunam fuisse, cui sententiæ ut subscribamus, in tanto Islandorum de alia Birca silentio, facile adducimur.

### §. V.

Frustra hic nonnulli hujus rei refellendæ causa animadvertunt in VI. illis Episcopis, quos Adalbertus, Metropolitanus Bremensis ordinavit & in Svetiam miserit, Adelwardum juniorem Sigtunensem, Johannem vero Bircensem fuisse Episcopum constitutum z), docente id Indice Episcoporum Septentrionalium, vitæ S. Rimberti adscripto, nomine *subscriptionum* a); unde inferunt Bircam & Sigtunam duas fuisse separatas civitates. Sed præterquam quod illæ falso nomine dictæ *subscriptiones* non eam fidem habent b), quam nonnulli eis tribuunt, primum hoc observamus, hunc Johannem, Hiltinum alias dictum, & Adelwardum non fuisse simul c) Episcopos constitutos, sed alterum alteri in eodem munere successisse d). Johannes enim primum missus, & quidem anno 1060, atque adeo ante Edmundi senioris decepsum, neque in suo munere ultra duos annos permanxit, ut ex His-

to-

- a) Botin Svenska Folkets Hist. 1789, 1 band. p. 299, 300.
- b) Largebeck Script. Rer. Danicar. T. III, p. 250.
- c) Ibid. p. 244, 255.
- d) v. Adamus Brem de situ Dan. p. 16, 25, 26.
- e) Joh. Wastov. vit. Aquil. p. 38, 40.

istoria Monasterii Gožkensis liquet e). Quod autem hic Johannes Birceus Episcopus constitutus dicitur, id non magis Bircam & Sigtunensi civitate separatam fuisse urbem & Metropolin indicat, quam cetera quæ de Birca relata sunt. Jam cum anno 1062 atque adeo post Edmundi obitum, Regis Stenchiilli tempore Adelwardus in munere Johanni successerit, atque hic Adelwardus non Episcopus Bircensis, sed Sigtunensis dicatur, & revera fuerit, Stenchiilli legatis ei Sigtunam sedem ordinantibus f), facile intelligitur, quam nihil hinc præsidii vulgari sententiae accedat. Quod occasione itineris divertens, neque vestigium civitatis, neque tumulum Archi-Episcopi Unni invenerit g), id eo minus mirum videbitur, quod hac eo loco quærebat, quo nec quærenda, nec invenienda erant. Fama ille decantatæ illius Birca & encomiis seductus haud dubie ab indigenis de regia illa domo & inclita civitate percontatus est, quod cum nomine latine formato, minimeque vulgo noto efferret, putaverim incolas loci credidisse de insula Biórkö quæri, hominemque eo legasse Hinc illa solitudo, in quam Birca & celebratissima civitas post unius fere sæculi decursum illius testimonio ita redacta fertur, ut jam tum civitatis vix vestigia, ne dum tumuli apparent h). Hic ergo omnium primus fuit,

e) Apud Langebeck l. cit. p. 249, 250.

f) Adam. Brem. de situ Dan. p. 25, 26.

g) Id. loc. cit.

h) Id. ibid.

fuit, quem certo scimus nomen appellativum Birca pro nomine proprie civitatis per errorem sumisse, & quem primus ex nostratis, quantum nobis quidem constat, Ericus Olai Upsaliensis secutus simili errore deceptus est i), post quos vel duces vel magistros neminem hanc cantilenam repetere puduit. Cætera, quæ objiciuntur, minoris sunt momenti, sed tamen non plane præteréunda. Quod Insula Alsnoensis ab ultima antiquitate regiam villam habuit, & aliquando etiam regulos & reges, qui in illa habitaverint, non efficit, ut Birca Sigtunensis sit Biðrkð, in qua Sveogothorum Metropolis & caput gentis fuisse credatur. Inter alia, quæ Bircani Rimberti monstrabilem faciunt, erit vel in primis nobilis ille portus, qui celeberrimo emporio locum fecit. Eiusmodi autem portu Insula Alsnoensis plane destituitur. De Insula Biðrkð antea diximus. Neque enim nos movet, quod duo Meleri tractus meridionalis & septentrionalis a betulis (norra och södra Biðrkefjärden) nomen habent, eum ad nomenclaturam locorum non aulæ, non metropoles necessariæ sint. Scimus, quam a levibus momentis & occasionibus nomina locorum sæpe dependeant. Si insula illa Biðrkð, ut prohibetur, olim Betulino nemore abundavit, atque inde nomen invenit, nonne in iis locis, ubi pinus & abies vulgare arborum genus est, vel hoc satis insigne ad nomina istorum tractuum arripienda, & ad memoriam stabile esse potuit? Inter alia, quibus me-

i) in vita Stenilli p. 38.

metropoli Bircensi fidem adstruere vulgaris opinonis patroni conantur, scimus etiam esse eam Bircæ mentionem, quæ in commemoratione civitatum Svetheicarum a Nubiensi Geographo, tam a nostrorum rerum notitia remoto scriptore, & nili accola, facta est, quam fieri potuisse negant, nisi vere hæc tantæ famæ metropolis existisset. Sed regero, si ultimus septentrio, ad Societatem Christianæ fidei conversus non potuit non Romæ & occidentali Europæ res mira & læta videri: Non mirum, credo, erit, quod Nubiensem Geographum non latere potuerunt, quæ de Birca Gothorum & Rimbertus & Adamus scriperant. Vixit Nubiensis Geographus post Rimbertum tricentos fere annos, post Adamum centum. Commoratus etiam aliquamdiu est in Hispania k), eo tempore, quo non rarum erat, etiam ab ultimo septentrione peregrinantes in occidentalibus Europæ regionibus videre. Potuit ergo ille facile, vel fama, vel literis, vel etiam sermonibus ea accipere, quæ de Birca Sveogothorum jamdudum ante in vulgus essent edita. Ceterum non tam in insulam Biðrkð quam in civitatem Sig-tunensem, qui in remotiorem & magis Borealem Meleri tractum habitatum de industria recesserant, ea convenient, quæ Adamus de portu Bircensium & civitate habet: *Birca, inquit, est oppidum Gothorum, in medio Svioniæ positum, non longe ab eo templo, quod celeberrimum, Siones habent; in quo loco SINUS quidam ejus FRETI, quod Balti-*  
cum

k) Celsii Hist. Eccles. T. I, p. 246.

cum vel barbarum dicitur, IN BOREAM VERGENS,  
 portum facit Barbaris gentibus optabilem: sed  
 valde periculosem incautis & ignarvis ejusmodi  
 locorum. Bircam enim Piratarum excursionibus,  
 quorum ibi est magna copia, saepius impugnati,  
 cum vi & armis nequunt resistere; callida ho-  
 stes ingrediuntur arte decipere. Qui SINUM MARIS  
 impacati per CENTUM ET AMPLIUS STADIA molibus  
 saxorum obruentes periculosem æque suis, ac præ-  
 donibus iter meandi fecerunt l). Ubi, quofo, ha-  
 bebis hunc portum, hunc sinum freti in Boream  
 vergentis, nisi ad veterem Sigtunam? Sed tem-  
 pus est filum dissertationis abrumpere. Quibus au-  
 tem verbis eam elegantius finiamus quam adscri-  
 bendo hoc ingeniosissimo Olai Hermelini m) de  
 Birca Epigrammate:


Nunc ubi te quacram, tantum jaætata per oras  
 Arctoas, Bircæ? nunc ubi tanta lates?  
 Te splendore suis, quondam Melerus in undis,  
 Sidit piscofos irradiare lacus.  
 Nunc ubi? Cæruleo cum non sis mersa profundo,  
 Senserunt rigidas num tua testa faces?  
 Erranti dubia, per inhospita litora, puppe  
 Monstravit sedes, insula vasta, tuas.

c

Ob.

l) Hist. Eccles. L. 1. c. 50.

m) In Hecatompoli Svironum apud Celsium 1, cit. p. 247.



*Obstupeo jubeoque leves renare carinas,*


*Ne laceret tencras fœda ruina genas.*

*Hic num Svecorum stetit alta potentia regum?*

*Hic an natales lex trahit alta suos?*

*Sic Tibi, sic constat tempus nocuisse malignum,*

*Id fueras quondam, nunc male pagus eras.*



658831

30,-

Biblioteka  
Główna  
UMK Toruń

558891

Sz 4

Biblioteka Główna UMK



300051740436